


SCHOLI. Græcè dicitur δυσκολία, ἀφιλαυθροπία, μισω-
 θρωπία, ἀυθάδεια, i. e. contumacitas. Latinè inhumanitas,
 morositas, Germanicè unfreundlichkeit, quales sunt o-
 mnes illi, qui in compellando, & audiendo sese difficiles
 & morosos præbent, ut habet versiculus: Nec visu facilis,
nec dictu affabilis ulli. Exemplo sunt Gibeonitæ, Judic. 19.
 v. 15. Nabal inhumanus erat Davidi com meatum peten-
 ti, 1. Sam. 25. v. 3. Sabellicus lib. 2. scribit de Timone Athe-
 niensi, quòd in agro Attico sibi domicilium compara-
 verit, ut ab hominum congressu esset remotior. Admis-
 sus aliquando ad ipsum fuit quidam Pœanthus Athe-
 niensis, ut cum ipso cœnaret; qui quum super cœnam jo-
 culariter dixisset; Nónne satis pulchrum hoc convivium
 Timon? pulchrum quidem, inquit ille, sed pulchrius es-
 set si tu abesses. Dionysius Siculorum Tyrannus nimis
 fuit austerus; qui quum Aristippi preces aliquando repu-
 diaffet, Aristippus prostratus cœpit amplecti pedes ejus,
 & sic quod petiit impetravit: unde deinde fama facta est,
Dionysium aures habere in pedibus. Narrat Plutarchus
de Philippo rege Macedonum, quòd aliquando nimis
 morosè anum quandam ipsius auxilium implorantem
 tractaverit, his verbis: Mihi non est otium te ut audiam.
Cui anus; Ergo, inquit, nec otium tibi est, ut rex esse pos-
sis. Lepidè reprehensa est regis morositas.



Cap. XV. De Urbanitate.

URbanitas est virtus conversationis, quâ
 homo in jociis dicendis & audiendis me-
 diocritatem observat.

SCHOLI. Ab Arist. lib. 1. magn. moral. cap. 31. & lib.
 3. Eudem. cap. 7. dicitur ἀτραπελία, quæ vox à Paulo
 Ephes. 5. v. 4. in malam partem accipitur, & notat scur-
 rilitatem, aliis verò Græcis authoribus sonat urbanita-
 tem. Porro an joci virum probum deceant, queritur? Sunt
 qui pu-